

primùm à Martino Polono. Imo si sub Ottone III institutus esset Electoratus, tum omnes Imperatores post Ottone[m] electi fuissent ab Electoribus, quod Otto Frisingensis aliter demonstrat dum Reges ab omnibus Proceribus electos fuisse narrat.

XXXV. I.

Ideoque cum omnes jam qui in Historiis antiquis sunt versati, inque iis ipsa etiam illa Cardinalitii ordinis lumina Baronius ac Bellarminus, ut etiam Amplissimus & Doctissimus Dn. Præses, Originem electionis Septemviralis demum in seculum tertium decimum referant, idque prolixè demonstraverint: merito cum Dn. Lampadio, Aventini, Flacii, Illyrici, Heigii, Goldasti, Arnifæi (quos inter hic nominatim laudari meretur Lehmannus) sententiis idem asserentibus facile accedo.

XXXII. X.

Suppono igitur ex Politicis, juris publici maximam partem esse juris non scripti. Idem observare licet in Imperio nostro, ubi sensim per consuetudinem multa introducta sunt, quorum originem inquirere ferme impossibile videri possit. Qua ergo ratione introductus Electoratus & sensim creverit, operosius differe cum instituti ratio non permittat, breviter tantùm addo, quæ hæcenus consuetudinis fuerunt, auctoritate Caroli IV transiisse in leges scriptas, quæ habentur in A. B. Et verò per eam quicquid juris habent Electores usurpant.

XXXIII. X.

Potestas itaque Electorum in genere est à tacito reliquorum Ordinum vel statuum consensu. Crevit illa sensim & sine sensu, donec ad fastigium summum pervenerit. Vocantur enim Electores pars corporis Imperatoris *in capite*. Ferd. 2. de anno 1619. in quibus decor & gloria S. Sancti Rom.